presbiter baptizaverit accedente quidem homine ad hominem, Deo ad mentem, ex duobus tertius recipit remissionem. Tingendo scilicet presbitero efficitur remissio, et quod non licet ex suo, porrigit ex officio. Ecce qualiter dat id quod non licet? I. Nemo, inquam, dimittit peccata nisi solus Deus. A. Verum est; assentio. Sed intuere Deum a Deo factum, videlicet ab essentiali accidentalem; quem factum, honoravit eum sic, ut dares ei potestatem, filios etiam Dei fieri, daretque potestatem dimittere et retinere, solvere et ligare. I. Sed non Formoso. A. Si perfecto hodio odisses, mitius egisses; unde antiquatum odium felle amaritudinis, parvo stillicidio verborum dulcorari non potest. Nam si per impositionem manuum episcoporum dari spiritum sanctum credibile est, qua ratione vita animae a patribus tradita est: Non recte de uno dicitur credendum iure non posse, cum de omnibus dicatur equaliter posse. Aut enim omnibus equaliter erit posse, aut equaliter omnibus non posse. Etenim credibile per impositionem manuum episcoporum accipere Spiritum sanctum. Quia vero Formosus, ut alii apostolici, etiam et ab ipsis episcopis manus impositionem accepit, ipsius potestatis utique expers non fuit. Accepit autem; igitur et dare potuit. Nam si non habuit, aut impositionem similem non accepit, aut si similis fuit, quia mutari non potuit, simili modo ut alii, qui acceperunt id, quod acceperunt simili conditione dare et potuit. Si illud, fuit et istud; quod si istud non fuit, omnimodo nec illud. Fuit autem illud; ergo et istud. Si itaque aspicularis, quemlibet iure sacramentum non posse uti, alterum iure sacrare; fateris = indubitanter, sacramentum alteratum existere. Unde f. 117'